

oportet intelligere proximorum utilitatem : cum enim proximus laborat, potest, ut illi succurratur, aliqua fieri absentia . . . Potest etiam ob paces magnatum componendas abesse. Neutiquam tamen poterit Sulpitius quidpiam prætere de distributionibus quotidianis; cum respectu earum lex Ecclesiæ sumenda sit ad litteram. Pontas.

CASUS IX. Hieronymus Canonicus peregrinatus Romam & ad ædem Lauretanam per integrum annum non resedit in loco Beneficii sui. Domum reversus resedit quidem in civitate sui canonicatus; nec tamen per anni spatium choro interfuit. Hoc non obstante percepit fructus grossos Beneficii, sexcentos florenos annuatim conficientes. Potestne pro foro interno conscientie hos sibi fructus attribuire?

R. In foro interno absolute non potest percipere, sibi que ut suos attribuire hos fructus, quidquid in foro externo desuper pronuncietur. Nullum Beneficium conceditur nisi cum onere satisfaciendi omnibus obligationibus eidem annexis, ut loquitur Bonifacius VIII. Cap. Quia. fin. Lib. I. Tit. 3. in 6. Consuetudo contraria nunquam poterit excusare Hieronymum coram Deo. Non liceat, inquit Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 13. de reform. vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Pontas.

CASUS X. Theodosius Canonicus a Principe legatus missus est ad alium Principem. Potestne citra peccatum hanc legationem obire, & simul lucrari fructus grossos sui Beneficii?

R. Cum hic agatur de bono publico status aut Reipublicæ, potest acceptare hoc munus; & omnino æquum est, ut percipiat fructus grossos Beneficii. Ratio est; quia censetur majus præstare bonum legationem digne obeundo, quam in loco Beneficii residendo & chorum frequentando: consequenter reputandus est tanquam residens, & fructibus Beneficii nequaquam privandus. Pontas.

CASUS XI. Hipparchus religionem solemniter professus est in quodam monasterio reformato, cui plura pingua Beneficia incorporata sunt. Exacto a professione uno anno Capitulum ipsi concessit Prætoratum simplicem mille florenorum, nullum aliud onus exigentem, quam ut hebdomadatim ibi celebrentur tres missæ privatae. Potestne, vel an etiam tenetur residere in loco Beneficii sui?

R. Ex

R. Ex quo Hipparchus accepit titulum Beneficii, tantum abest, ut teneatur residere solus in loco Beneficii, ut id etiam prohibitum sit a Concilio generali Lateranensi tertio anni 1179. Extant quidem exempla huic statuto contraria, quæ autem sequi valde periculosum est in praxi; id quod ex pravis sequelis, quæ exinde nascebantur, abunde cognitum est. Monachi, inquit Concillium citatum, nec singuli per villas & oppida per quascumque parochiales ponantur ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneat; nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, Salomone dicente: Væ soli, quia cum ceciderit, non est qui sublevet eum. Pontas.

CASUS XII. Canonici cujusdam ecclesiæ cathedralis fructus grossos percipiunt, quin integro anni spatio resideant, immemorabilem ecclesiæ suæ consuetudinem, & Pontificis ac Episcopi tolerantiam allegantes. Num bene?

R. Tenentur Canonici absolute novem saltem mensibus per annum residere, ac divinis Officiis interesse. si fructus grossos lucrari velint, ut expresse declaravit Tridentinum. Consuetudo contraria, ubicumque viget, corruptela semper fuit, & etiamnum est, omnibus viribus abolenda. Idem dicendum de tolerantia ac conniventia Pontificis ac Episcoporum; sique ea cum veritate allegari possit, coacta est; eo quod malo mederi non possint: Prælati enim libere nec tolerant, nec tolerare possunt, quod expressissimis legibus, & piæ fundatorum intentioni adversatur. De Lamet.

Vide Canonicus.

RESIDENTIA EPISCOPORUM.

1. Episcopi ad residentiam tenentur non minus quam parochi, Canonici vel habentes Beneficia curata, aut ad eam adstricti titulo foundationis, ut unanimiter Concilia, Prælatorumque ecclesiasticorum statuta ac decreta volunt.

2. Concilium Tridentinum Sess. 23. c. 1. de reform. statuit, ut Episcopus ultra duos aut tres menses per annum a diocesi sua abesse non possit, saltem nisi longiorem absentiam exposceret causa gravis, quam legitimam ac omnino urgentem redderet charitas, necessitas, obedientia, aut evidens Ecclesiæ utilitas.

CASUS I. Nicander Episcopus in Hungaria prævidet violentam persecutionem mox excitandam. Potestne absque peccato derelinquere gregem suum durante persecutione,

P. 3

&

& transferre integram potestatem suam in sacerdotem, qui interea in absentia ipsius ovibus invigilet? An vero potius coram Deo tenetur residere in episcopatu, etiam cum periculo vitæ?

§. Episcopi & omnes pastores animarum cura onerati tenentur jure divino & ecclesiastico ad residentiam sub peccati mortalis reatu. Ita Concilium Tridentinum loco supra citato. Hoc supposito, si persecutio, de qua agitur, sit decreta in ipsam personam Episcopi, potest & debet aliorum se recipere pro salute ovium suarum juxta S. Cyprianum Lib. 3. Epist. 5. & S. Thomam 2. 2. q. 183. art. 5. C. adhibita tamen præcautione, ut alium sibi substituatur, communicata ipsi interim sua potestate. Si vero ex ipsius absentia damnum immineret gregi, exemplum S. Marci Episcopi Arethufani temporibus Juliani apostatæ, S. Nicasii Episcopi Rhemensis tempore Wandalorum, S. Lupi Episcopi Trecentis & S. Remigii Episcopi Rhemensis tempore Gallorum adhuc paganorum ipsum docere poterit, Episcopo vitam exponendam esse pro salute ovium. *Pontas.*

CASUS II. Erepta a Venetis Turcarum imperio arce S. Mauri in quadam insula valde populosa, cujus incolæ pene omnes erant Græci schismatici, omnesque ecclesiæ Episcopo pariter schismatico subditæ, Papa Hieronymus Episcopum consecravit, qui incolas ad unitatem & communionem Ecclesiæ Romanæ reduceret. Paruit Hieronymus, & per anni dimidium nullo profus fructu reducendis ad Ecclesiæ gremium schismaticis insudavit, imo etiam indignissimis modis ab iisdem fuit habitus: insuper & Magistratus sæculares, ut Insulanos in obedientia Reipublicæ Venetæ continerent, prohibuerunt, ne reunionem hanc curaret ac urgeret amplius. Teneturne Hieronymus stantibus hisce residere in hac insula in qua considerata habitatorum obstinatione, nulla prorsus spes fructus ac reunionis apparet?

§. Si insulam hanc incolant etiam catholici permixti schismaticis, non est dubium, quin Hieronymus teneatur residere in insula, ut illorum salutem invigilet. Verum in circumstantiis positi casus licite abire poterit ex insula. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Act. 13. v. 46. *Pontas.*

RESIDENTIA PAROCHORUM.

1. Obligatio residendi est longe major ac indispensabilior respectu parochorum, quam quorumvis aliorum; quia eorum ministerio & auxilio parochiani continuo indigent. Concilium Tridentinum hac super re sat enucleatam declarationem edidit.

2. Potest nihilominus parochus quandoque abesse a sua parochia ex legitimis causis, quæ tamen raræ admodum sunt; & præter hoc, quod debeant approbari ab Episcopo, tenentur etiam parochus durante sua absentia constituere vicarium, qui usque ad ipsius reditum functiones parochiales obeat.

CASUS I. Servius parochus quovis anno ordinarie abesse a sua parochia per duos menses continuos; dum interim conversatur cum parentibus, consanguineis & amicis. Peccatne mortaliter?

§. Cum cura pastoralis animarum, & obligatio pascendi oves, quarum directio ad parochos pertinet, sit juris divini, sequitur, quod & obligatio residendi sit juris divini. Fideles pastoralis parochi curæ concrediti continuam ipsius præsentiam expetunt, a quo spirituale animarum suarum nutrimentum capiunt prædicatione verbi divini & Sacramentorum administratione; prout & ipse parochus strictissimam habet obligationem eos invigilandi, instruendi, exhortandi, ac infirmitatibus aliisque ærumnis pressos consolandi ac erigendi. *Quæ omnia, ut Patres Tridentini loquuntur, nequaquam ab eis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Absque dubio igitur Servius peccavit mortaliter. Si quis parochus, inquit Caballutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 5. c. 1. n. 4. *sine justa causa etiam minus duobus mensibus absit, peccat mortaliter; nisi sit parvi temporis absentia, qualis possit esse quindecim aut ad summum viginti dierum . . . modo reliquerit idoneum substitutum.* Si ergo justa, necessaria ac urgens causa parochum ad breve tempus avocet a sua parochia, idoneum relinquere tenetur vicarium, qui absentis defectum suppleat. *Pontas.*

CASUS II. Eduardus parochus processum habet judiciale summi momenti, jamjam per judicis sententiam terminandum. Potestne tuta conscientia abesse a sua parochia, ut cum judice agat, causamque suam tueatur & urgeat?

3. Quatuor sunt causæ legitimæ, quæ possunt excusare absentiam parochi, scilicet charitas Christiana, urgens necessitas, obedientia Superiori debita, & evidens Ecclesiæ vel boni communis utilitas. Solus autem Episcopi est judicare, utrum in negotio parochi ejusmodi gravis & urgens causa subsit; & etiam approbata ab Episcopo causa absentia parochus tenetur substituire capacem vicarium. Eduardus ergo tenetur Episcopo exponere naturam & gravitatem processus; & si hic judicet, operæ prelium esse, ut in persona urgeat decisionem causæ, poterit Eduardus abesse, constituto tamen prius vicario. *Pontas.*

CASUS III. Rochus gradu Doctoratus insignitus obtinuit parochiam reddituum octingentorum florenorum, cujus etiam possessionem astitit. Sciens vero alii graduatis ob prærogativam senii per integrum semestre competere privilegium sollicitandi pro eadem parochia, putat, se non obligari ad residentiam, donec certus esset, in possessione sua se non amplius turbatum iri. Poteritne se eximere a residentia superveniente seniore graduato parochiæ candidato, licet possessionem jam per sententiam judicis sibi vindicaverit?

3. Solus pacificæ possessionis titulus Rocho jus tribuit percipiendi fructus Beneficii: jam vero fructus Beneficii non debentur Beneficiario nisi ratione servitii Beneficio præstiti. Hi igitur fructus ad ipsum legitime pertinere nequeunt, si non resideat, & parochiæ deserviat. Vindicatæ possessionis sententia vel sola ipsum obligat ad residendum; cum sic possessio ipsius autoritate judicis firmitatem nanciscatur. *Pontas.*

CASUS IV. Theotimus parochus, quem internecino odio persequitur Toparcha seu territorialis paroeciæ dominus, adeo ut vitæ ipsius jam fuerit infidatus, poteritne ad notabile tempus discedere a parochia, ut furorem inimici sui declinet? Possitetne etiam dimittere parochiam, si ob notabilem infirmitatem medici ad unum vel duos menses mutationem aëris imperarent?

3. Rationes istæ absentiam parochi juste excusant a peccato; dummodo idoneum interea sibi substituat vicarium, neque discessus ipsius notabile damnum inferat bono spirituali parochianorum suorum. *Cum nimirum periculum imminet Episcopi vitæ, inquit Cardinalis Toletus Instruct. Sacerd. L. 5. c. 7. nisi discedat ab ecclesia, vel ob infirmitatem, vel ob persecutionem alicujus tyranni, vel aliqua simili causa: tunc enim potest ad tempus recedere; dummodo tamen non sequatur spirituale detrimentum gregis.* *Pontas.*

CASUS V. Amabilis parochus singulis annis per decem aut duodecim dies a sua discedit parochia, eosque sacrae impendit solitudini. Num licite?

3. *Evidens Ecclesiæ utilitas* una est ex quatuor causis, quæ a Tridentino ut legitimæ admittuntur ad hoc, ut quis abesse possit a Beneficio curato; & ad hanc ipsam causam absque dubio referri potest annuus sacer recessus parochi: quam maxime enim interest illorum, quibus incumbit gubernatio & cura salutis fidelium, ac consequenter bonum commune totius Ecclesiæ, ut propriæ sanctificationi & perfectioni studeant, sicque se disponant ad aliorum sanctificationem majori cum efficacia juvandam ac promovendam; quod aptiori modo fieri nequit quam annuis sacris exercitiis. Ad hæc absentia decem aut duodecim dierum non est adeo notabilis, nec eam ex prædicta causa ullus improbavit Episcopus; dummodo sacrae huic recollectioni tempus consecretur, quo minus necessaria est parochianis parochi præsentia, & idoneus constituitur vicarius. *Pontas.*

CASUS VI. Antoninus parochus per unum mensem a sua abiit parochia, ne invaderetur lue pestifera violenter ibi grassante. Num peccavit, & ad restitutionem fructuum tenetur?

3. Non potuit sine gravi peccato abire, & derelinquere parochiam suam tempore calamitatis publicæ, ac sine subsidio spirituali deserere oves sibi concreditas; teneaturque ad restitutionem fructuum pro rata temporis absentia suæ. Edictum Blesene in Gallia omnino præcipit, ut in simili casu parochi absentis fructus occupentur, ac in reparationes ecclesiarum & in eleemosynas pauperum loci convertantur. *Pontas. Vide Parochus. cas. 4.*

CASUS VII. Justinianus parochus vir doctissimus a suo Episcopo fuit assumptus in Officium aut Vicarium generalem. Poteritne retinere parochiam actu possessam, substituendo sibi vicarium parochialem idoneum, & quandoque per se ipsum invisendo parochiam; cum munus Officialis aut Vicarii generalis incompatible esset cum administratione parochiæ?

3. Cum parochus jure divino teneatur deservire parochiæ suæ, Justinianus non potest acceptare dignitatem ab Episcopo sibi oblatam, utpote incompatible cum functionibus parochialibus, & simul retinere parochiam. Persistendum igitur ipsi erit in parochia, & dignitas Officialis aut Vicarii generalis cedenda alteri, quem hisce temporibus facile invenire poterit Episcopus. *Pontas.*

RESIGNATIO.

1. *Resignatio* est voluntaria abdicatio Beneficii in manus collatoris; qui abdicationem vel potest acceptare, quo casu Beneficiatus amittit Beneficium suum; vel repudiare, & Beneficiatum obligare, ut illud retineat, si id bono Ecclesiæ magis proficuum videatur.

2. In materia beneficiaria terminus hic *resignatio* interdum accipitur pro abdicatione Beneficii *pura ac simplici*; quandoque vero pro *conditionata*, id est, facta in favorem alterius personæ: atque in hoc sensu proprie accipienda est resignatio; quamvis necdum tria præteriere sæcula, ex quibus hæc secunda resignationis species in usu est.

3. Potest quis resignare bona adhuc valetudine fruens, vel morbo detentus, imo ad extrema jam deductus. Juxta regulam Cancellariæ decimam octavam constitutam ab Innocentio VIII. si Beneficiatus morbo decumbens resignat Beneficium durante ægritudine, & moritur intra viginti dies computatione facta a die resignationis, Beneficium censetur vacare per obitum, & provisiones super tali resignatione obtentæ sunt nullæ. Verum hujus regulæ vix ullus jam est usus; cum eidem ex stilo ordinario Curie Romanæ per expressas clausulas fere universim derogetur, dummodo id non vergat in præjudicium eminentissimorum Cardinalium, qui juxta compacta a Papa præveniri non possunt, siue sint soli collatores Beneficii, siue conjunctim cum aliquo Capitulo, siue sint tantummodo patroni. Nunquam interea licet celare mortem Beneficiati, aut occultare cadaver illius; & contra id attentantes criminaliter proceditur.

1. Ex alia ejusdem Cancellariæ regula, quæ dicitur *De publicandis*, quæcumque resignatio sit caduca; cum scilicet eam resignatarius publicam non fecit, & intra sex menses, si Romæ fuit provisor, & intra mensem, si fuit provisor ab Ordinario, possessionem adire non curavit, sique intra hoc temporis intervallum resignans adhuc in possessione existens decedat, Beneficium censetur vacasse per obitum. Si vero resignans adhuc vivat, resignatario conceduntur tres anni integri computatione facta a die obtentæ provisionis, quibus resignantem ex possessione dejicere poterit; usque dum autem a resignatario extra possessionem possus fuerit, resignans omnes Beneficii fructus facit suos. Post lapsum horum trium annorum resignatario nullum amplius competit jus in Beneficium, & provisio ipsius omnino est caduca; quia resignans

in

in hoc casu Beneficium censetur possidere novo titulo, triennialis videlicet possessionis juxta regulam *de Pacificis*.

5. Resignatio fieri potest per ipsum Beneficiatum in persona, vel per procuratorem. Instrumentum autem procuratoris 1. debet confici a Notario ac debite insinuari. 2. Procuratio debet esse specialis, id est, continens potestatem resignandi hoc Beneficium in favorem hujus. 3. Requiritur, ut procuratorem conficiens pubertatem attigerit, id est, annum ætatis decimum quartum compleverit. 4. Ut procuratio suum effectum intra annum computandum a die, quo data est; ita ut si resignatio intra annum vi procuratoris non perficiatur, procuratio censetur caduca & revocata, & consequenter provisio primum post anni lapsum per viam hujus procuratoris obtenta cedere debeat provisioni ejusdem Beneficii per obitum. 5. Procuratio semper revocari potest re adhuc integra, id est, antequam resignatio in forma debita a Romana Curia admissa fuerit. 6. Procuratio finitur per mortem constituentis vel recipientis.

6. Procurator constitui potest siue Clericus siue laicus. Ut autem sinistris eventibus obvietur, consuetudo jam invaluit procuratores constituendi omnes expeditionarios Curie Romanæ, ne procuratio finiatur per mortem illius, qui solus & unicus fuerit nominatus.

7. Nunquam licet uti mediis violentis ad extorquendam a Beneficiato resignationem, vel emolumentum sibi captare ex juvenili vel senili ætate resignantis. Hinc si quis necdum expleto anno decimo octavo ætatis resignavit Beneficium suum sine consensu patris aut tutoris, admittitur postea revocatio, maxime si aliud Beneficium non possideat, ex quo decenter sustentari possit, excepto tamen casu, quo resignasset Beneficium incompatible. Expleta autem illa ætate, si resignatio facta est sine dolo aut seductione, & in Curia Romana admissa, revocari non amplius potest.

8. Quando resignatio est pura & simplex, & resignans eam revocare velit, antequam a collatore admissa fuit, revocatio debet indicari ipsi collatori. Si vero est in favorem, satis est revocationem insinuare adhibito procuratori, aut eo absente ad ædes ipsius, vel ipsi resignatario, aut si hic lateat, coram Notario & duobus testibus.

9. Resignans potest ante admissam resignationem in Curia renunciare Beneficio suo in manus Ordinarii; sed in hoc casu renunciatio necessario intimanda est resignatario, ut quævis alia revocatio in debita juris forma facta.

CA.

CASUS I. Cresconius præbendam suam, quam obvenire volebat fratri suo Ruperto, resignavit in favorem in manibus Episcopi. Rationes sic agendi erant istæ; quod nimirum gravi morbo decumbens ob angustias temporis non possit mittere Romam, simulque velit evitare expensas in Curia faciendas, quas existimabat redolere simoniam, vel saltem lucrum minus justum & minus honestum. Potestne Episcopus hanc admittere resignationem, & ea admissa eritne Rupertus canonice provivus? Foretne canonice provivus, si abesset expressa resignatio in favorem, & Episcopus solum ultro promississet, se illi collaturum resignatam præbendam?

ꝑ. Resignationes in favorem prohibentur solum jure ecclesiastico, in quo Papa legitime dispensare potest. Sed Episcopis non competit hæc potestas, imò ne quidem Legatis a latere. Adeoque Cresconius non potuit adire Episcopum pro recipienda resignatione in favorem fratris sui. Quodsi Episcopus admiserit resignationem, Rupertus erit male provivus, ejusque Beneficium poterit impetrari ab alio. *Pontas.*

CASUS II. Crepinianus parochus in favorem sui Vicarii resignavit ad manus Patroni, qui erat Abbas. Estne hæc resignatio canonica? Si non sit canonica, poteritne ratificari per collationem ab Episcopo concedendam vicario?

ꝑ. Resignatio Crepiniani est vitiosa; quia non potuit fieri nisi ad manus Papæ: hujusmodi enim resignatio involvit simoniam ob interveniens pactum; hæc autem simonia juris ecclesiastici non potest tolli nisi a solo Papa, excluso omni alio Superiore. Dein omnis resignatio, etiam simplex, fieri nequit canonice ac valide nisi ad manus collatoris, & non patroni licet ecclesiastici, ut manifeste patet ex his verbis Alexandri III. scribentis ad Episcopum Tornacensem Cap. Admonet. 4. Lib. 1. Tit. 9. *Universis personis tui episcopatus sub distractione prohibeas, ne ecclesias tuæ diocesis ad ordinationem tuam pertinentes absque assensu tuo intrare audeant aut detinere, aut dimittere te inconsulto.* Ex quo sequitur, quod resignatio Crepiniani legitimari non valeat per sequentem collationem ab Episcopo obtinendam; cum hic potestatem non habeat dispensandi in pacto simoniaco, quod intervenit. Notandum tamen hic, quod, si resignatio pura & simplex, quæ communis vocatur renunciatio aut abdicatio, facta fuisset in manibus patroni ecclesiastici, posset aliquo modo legitimari per provisionem ab Episcopo concedendam ad præsentationem ejusdem patroni, ita ut, postquam resignans per factam resignationem renunciasset omni juri ad Beneficium, patronus præ-

præsentaret ad illud, & collator, si velit, impertiret collationem ad nominationem hujus patroni. *Pontas.*

CASUS III. Amandus graviter decumbens suum resignavit Beneficium in Curia primo Januarii in favorem Manlii, & intra quindecim dies obiit. Post mortem ipsius Sempronius patronus nominavit Julianum, qui obtenta ab Episcopo collatione absque mora possessionem Beneficii arripuit. Estne valida & canonica resignatio facta Manlio, qui impetravit expeditionem suæ provisionis? Poteritne hæc ipsi legitime in controversiam vocari a Juliano?

ꝑ. Resignatio Amandi facta in favorem Manlii nulla est; & provisio Juliani legitima. Ratio est; quia Beneficium resignatum in favorem a Beneficiario ægrotante censetur vacare per mortem, si resignans non supervivat viginti dies integros ab actu resignationis elapsos. Ita sancitum est regula decima octava Cancellariæ Romanæ *de infirmis resignantibus*. Regula hæc tria continet puncta essentialia: 1. Ut resignans actuali infirmitate correptus sit, dum procurationem ad resignandum edidit. 2. Ut resignatio jam sit perfecta, & admissa a Superiore legitimo. 3. Ut resignans mortem operat ex ipsa infirmitate intra viginti dies completos, numerandos non a die datæ procurationis, sed a die admissæ resignationis. Collatores ordinarii non subjacent huic regulæ respectu Beneficiorum, quæ conferuntur ad renunciationem puram ac simplicem; subjacent vero quoad permutationes. Regula isthæc æque parum procedit circa Commendas Ordinis Melitenfis, quæ proprie loquendo non sunt Beneficia. *Pontas.*

CASUS IV. Cum parochia S. Leodegarii, cujus collatio pleno jure pertinet ad Episcopum diocesanum, vacasset, Patritius extraordinario cursore Romam misso parochiæ hujus provisionem impetravit, Episcopo interea eam conferente Joanni; & ambæ hæc provisiones eodem die datæ sunt. Quinam alteri præferendus?

ꝑ. Papa habet jus præveniendi collatores ordinarios; licet hoc jus tam amplum ac latum non sit, ut quandoque non patiatur restrictiones. Hoc supposito Patritius præferendus est Joanni; quia, dum duæ provisiones sunt eodem die datæ, provivus ab illo duorum collatorum, qui majore eminet autoritate, præferendus est alteri, provisionem suam a collatore inferiore obtinenti: supposito tamen, quod determinari non possit, utra duarum provisionum sit anterior, & quod neuter duorum provivorum Beneficii possessionem adierit: nam stante dubio alteri præferendus foret, qui

qui prior possessionem adiit. Ita decidit Bonifacius VIII. Cap. *Si a Sede*. 31. Lib. 3. Tit. 4. in 6. *Si a Sede Apostolica vel Legato ipsius uni, & ab Ordinario alteri eodem die idem Beneficium conferatur; nec appareat, quæ collatio fuerit primo facta, erit potior conditio possidentis. Si vero neuter possideat, is, cui sedes ipsa contulit vel Legatus propter conferentis ampliolem prærogativam erit alteri præferendus* Præventio Papæ non habet locum, quando ante ipsius provisionem Ordinarius jam cœpit exercere jus suum per admissionem resignationis a Titulari factæ, vel per acceptationem præsentationis a patrono ecclesiastico oblatæ. *Pontas.*

CASUS V. Isaacus in Curia Romana obtinuit provisionem cujusdam parochiæ in forma commissoria; sed timens, non impetraturum se vidimationem a suo Diocesano, resignat Beneficium cuidam Doctori amico suo, possessione nondum adeptæ. Valetne resignatio?

ꝑ. Sunt quidam Authores, qui existimarunt, provisiones in forma dignum, id est, in forma commissoria esse merum mandatum de providendo, quod Papa ad Episcopum dirigit, cujus vidimatio dein veram provisionem constituat. Verum hæc opinio certe falsa est, & insigniores Canonistæ docent, ejusmodi provisiones esse veras, reales & actuales, ita ut hoc modo provisos in Curia Romana possit resignare tertio, etiam nondum adeptæ possessione; idque, et si sic resignans censeretur indignus, ut ab Episcopo vidimationem recipiat. Isaacus itaque valide potuit resignare amico suo, et si necdum Beneficii possessionem adierit; & vidimationem ab Episcopo obtinuerit. *Pontas.*

CASUS VI. Bernardus parochus resignare cogit Benedicto amico suo; sed sciens, ipsum jam pluries prolapsurum fuisse in occulta peccata incontinentiæ, hæret anxius; utrum salva conscientia facere possit hanc resignationem. Estne rationabilis hæc Bernardi anxietas?

ꝑ. Si certus est de sincera conversione & emendatione Benedicti, simulque persuasus, hunc amicum suum præ aliõ digniorem esse hoc Beneficio, idque exigere utilitatem Ecclesiæ, poterit ipsi resignare cum plenissima securitate conscientiæ. *Pontas.*

NOTA. Si occulta illa peccata consisterent in frequentatis actibus lascivis cum altero sexu, vel cum pueris, Bernardus non posset absque gravissimo peccato mortali resignare Benedicto; quia tales vix unquam in iisdem occasionibus stabiliter emendantur.

CASUS VII. Tharrasius parochus ruralis periculose decumbit, & Genutius medicus, qui solus in tota illa vicina reperiri potuit, eum vehementer urget, ut parochiam Guiberto filio suo resignet; cumque difficilem se præberet ad ejus sollicitationes, medicus absque ambagibus ipsi significat, nullam se posthac ipsius curam habiturum, nec amplius ad eum invisurum, si hanc sibi gratiam sit negaturus. Resignat Tharrasius, attamen cum spe & animo revocandi resignationem, si pristinæ reddendus sit valetudini. Moritur autem, & Guibertus capit possessionem parochiæ. Valetne hæc resignatio? An Guibertus tuta conscientia potest retinere hoc Beneficium?

ꝑ. Resignatio, cui intervenit dolus, violentia vel metus gravis, nec canonica est, nec valida. Guibertus igitur est male provisos; & si adhuc viveret Tharrasius, teneretur ille in conscientia ipsi reddere parochiam. Cum vero Tharrasius obierit, parochiæ renunciari debet in manus legitimi Superioris. Id ipsum etiam locum habet in resignationibus factis per fraudem resignatarii vel cujusvis alterius; sed tunc solummodo, quando fraus est vera causa resignationis. *Pontas.*

CASUS VIII. Theodulus Carolo resignavit suum Prioratum die 1. Februarii; antequam autem resignatio fuisset admittitur in Curia, revocavit eam die nono ejusdem mensis & anni per instrumentum publicum debitis formalitatibus vestitum. Verum post biennium tradit Carolo actum originalem revocationis, consentitque, ut capiat possessionem Beneficii vi provisionum ex Curia obtentorum post tres facta resignatione septimanas. Carolus combusto in præsentia pedelli instrumento revocationis possessionem Prioratus servata omni juris forma aggreditur. Estne legitime provisos? Et si invalida sit ipsius provisio, poteritne fieri valida per triennalem pacificam possessionem?

ꝑ. Carolus non est legitime provisos; cum Theodulus non amiserit suum Beneficium per resignationem, utpote in tempore adhuc revocatum: sicut enim nemo autoritate privata se ipsum in Beneficio potest instituere, ita nec eo se abdicare potest sine consensu sui Superioris. Nec triennalis pacifica possessio provisionem hujusmodi revalidare potest; quia regula Cancellariæ Romanæ de triennali possessione tunc dumtaxat locum habet, cum possessor habet titulum saltem coloratum; Carolus autem omni prorsus titulo destitutus est. *Pontas.*

CASUS IX. Josephus die primo Octobris anno 1709. Gabrieli dedit procurationem suam ad resignandum Prioratum, quo ipsi gratificari volebat. Gabriel officiositatis ergo erga benefactorem distulit tradere procurationem istam procuratori expeditionario ad Curiam usque ad diem secundum Octobris anni 1710. ita ut resignatio non nisi die vigesimo tertio ejusdem mensis fuerit admissa. Estne valida?

ꝑ. Provisiones Gabriellis nullæ sunt; quia procuratio a Josepho facta ex lapsu temporis vitium caducitatis contraxit. *Pontas.*

CASUS X. Ovidius parochiam suam resignavit Norberto; & resignatio fuit admissa Romæ die 2. Januarii anno 1708. obiitque resignans die 3. Julii ejusdem anni. Altero mox ab ejus obitu die possessionem Beneficii apprehendit Norbertus. At vero Episcopus providit Theogenem, qui in possessionem intravit octiduo post Norbertum. Estne legitima provisio Theogenis?

ꝑ. Cum provisio Norberti facta fuerit caduca, eo quod non fuerit publicata per apprehensionem possessionis, pro qua concedantur sex menses respectu provisionum a Papa factarum, & unus mensis respectu provisionum episcopaliū, sequitur, provisionem Theogenis esse canonicam & legitimam, vi regulæ Cancellariæ Romanæ de publicandis resignationibus. Observandum autem 1. Id locum non habere, si resignatarius ob impedimentum legitimum possessionem capere non potuisset. 2. Prædictos sex menses currere a die admittæ in Curia Romana resignationis, & non a die præstiti a resignante vel procuratore ipsius consensus in resignationem. 3. Extra casum, quod resignans obierit, resignatarius uti posse sua provisione & capere possessionem Beneficii sibi resignati tribus annis, hoc autem tempore elapso provisionem fieri nullam; eoquod hæc resignatarii negligentia habeatur pro tacita renunciatione provisionis. 4. Et in hoc casu non posse a resignante idem Beneficium secunda vice resignari eidem resignatario, ut constat ex decreto Urbani VIII. *Pontas.*

CASUS XI. Papinius Prior Romam misit procurationem suam ad resignandum in favorem Galli nepotis. Cursor in Urbem advenit decimo Octobris, Datumque ejusdem diei fuit retentum. Interea moritur Papa ante expeditionem provisionum. Sufficitne hoc Datum, ut possit expediri provisio hujus Beneficii a Pontifice defuncti successore?

ꝑ. Datum illius diei, quo cursor Romam venit, semper manet validum, etiam si eodem, vel sequenti mox die Papa moria-

morietur. Consequenter nil impedit, quo minus provisiones Galli stantibus hisce expediri possint. *Pontas.*

CASUS XII. Philemon morbo correptus resignavit Laurentio in Curia Romana possessam a se Capellam simplicem. pristinae valetudini reddito Philemone Laurentius uti neglexit facta resignatione, & provisionem sibi procurare. Post quadriennium denuo gravis ægritudo invaserat Philemonem, qui secunda vice resignat nulla facta mentione prioris resignationis, & post mensem moritur, quin ullam harum resignationum revocasset. Laurentius postmodum possessionem arripit estne canonicè provifus?

ꝑ. Secunda resignatio nulla est; adeoque Laurentius non est canonicè provifus. Idem Beneficium non potest valide secunda vice resignari, si prima resignatio non fuit revocata: sic enim Beneficia redderentur hæreditaria, quod sacris Canonibus adversatur. *Pontas.*

CASUS XIII. Nemesius resignavit Leontio parochiam suam in Curia; mutata autem postmodum mente, septiduo vel octiduo post abitum cursoris eidem pure ac simpliciter renunciavit in manus Episcopi, qui provisionem concessit Antonio, mox capienti possessionem Beneficii. Post duos menses Leontius receptis provisionibus Papalibus petit ab Episcopo literas vidimatorias, quas hic negavit, Metropolitanus autem absque ulla difficultate concessit. Leontius igitur capturus possessionem impeditur ab Antonio. Cujusnam provisio est legitima?

ꝑ. Solus Leontius est legitime provifus: cum enim Nemesius vere resignaverit, provisio Leontii est valida, nec potest infirmari per posteriorem renunciationem Episcopo factam, sed solum per revocationem in tempore factam, & debito modo infirmatam. *Pontas.*

CASUS XIV. Andronicus Prior propter crimen aliquod capitale amisit suum Beneficium, eo privatus per sententiam declaratoriam judicis. Appellat autem ab hac sententia, & Prioratum suum resignat in Curia Ambrosio nepoti suo. Valerne resignatio?

ꝑ. Si crimen non sit de genere eorum, quæ vacaturam Beneficiorum inducunt ipso facto, Andronicus interposita appellatione a sententia condemnatoria, qua privabatur Beneficio, valide illud resignare potuit. Crimina autem, per quæ vacat Beneficium ipso facto, sunt crimen læsæ majestatis, parricidium, hæresis, assassinatus, & non nulla alia. *Pontas.*

CASUS XV. Justinus Canonicus præbendam suam resignavit Joanni filio, quem ante suam ordinationem susceperat ex matrimonio legitimo. Estne valida & canonica resignatio?

ꝑ. Juxta sacros Canones pater non potest resignare Beneficium suum filio, ne Beneficia fiant hæreditaria; quapropter Justinus resignatio nec valida est nec canonica. Multo adhuc rigorosiores sunt Canones respectu filiorum illegitimorum. Juxta plerosque Canonistas ne quidem nepos potest possidere Beneficium prius possessum ab avo suo. *Pontas.*

CASUS XVI. Flavius Prior vult resignare Beneficium suum patri suo, qui defuncta uxore statum clericalem amplexus est. Potestne id fieri canonice?

ꝑ. Non reperitur Canon, qui ejusmodi resignationem prohibeat; quod sufficit, ut pro canonica admitti possit. Aliunde ejusmodi resignationi imputari non potest, ac si foret successione hæreditariam in Beneficiis; quia parentes non nisi sub aliqua ratione succedunt liberis suis, idque contra ordinarium rerum cursum, & votum suum, quo liberos suos sibi superflites ac bonorum paternorum hæredes cupiunt. *Pontas.*

CASUS XVII. Capistranus gravi infirmitate correptus resignat Beneficium suum Joanni fratri suo cum pacto regrediendi in Beneficium, si denuo convalescit. An non commisit confidentiam?

ꝑ. Tam resignans quam resignatarius confidentiæ se reos constituerunt. Resignans vi primæ suæ provisionis non potest regredi in Beneficium, postquam per triennium ejusdem titulum cesserat resignatario, nec disponere de redditibus Beneficii; sed tenetur eos restituere pauperibus, vel ecclesiæ sui tituli. *De Lamet.*

CASUS XVIII. Titius facit resignationem clandestinam Beneficii cujusdam, ut duorum, quæ sunt inter se incompatibilia, possit percipere redditus. Num peccat?

ꝑ. Resignatio hæc criminosa est, & non absque ratione suspecta de confidentia. Alterum horum Beneficiorum tempore optionis elapso titulo devoluti ab alio impetrari potest. *Fromageau.*

CASUS XIX. Alanus Clericus sacerdos falso de variis criminibus accusatus per litteras Principis exulare jubetur, nec obtinere potest sententiam definitivam in causa sua; eo quod pars diversa valde potens eum spoliare intendat duobus Beneficiis, quæ legitime possidet. Poteritne iisdem renunciare per resignationem, ut ab injusta vexa sese liberet?

ꝑ. Po-

ꝑ. Potest quidem resignare, nullatenus autem subscribere poterit absque peccato contractui simoniaco, qui ipsi proponi posset ut medium ab ulterioribus persecutionibus & iniqua vexa immunem se præstandi. Judices, qui ipsius innocentiam declarare recusant, gravissime coram Deo rei sunt; tenenturque de omnibus damnis ex sua desidia in Alanum redundantibus, & deinceps redandaturis. *Fromageau.*

CASUS XX. Solmius parochus, qui per annos viginti Beneficio suo cum laude deservierat, illud resignare cogitat sub reservata sibi moderata pensione; etsi bona patrimonialia habeat, ex quibus decenter sustentari possit. Potestne tuta conscientia hoc modo resignare?

ꝑ. Cum Beneficium ultra quindecim annos administraverit, potest resignare sub conditione præstandæ sibi pensionis; licet ex bonis patrimonialibus commode vivere possit. *Fromageau.*

CASUS XXI. Julianus nepos Bruti Canonici cathedralis, quem subita apoplexia omni sensuum usu destituerat, fingit variis artibus, resignationem præbendæ a Bruto sibi factam, & exhibet Episcopo falsitatis conscio provisionem Beneficii in Curia Romana obtentam. Potestne Episcopus ipsi concedere vidimatorias ad capiendam possessionem?

ꝑ. Absolute tenetur Episcopus Julianum repellere, & Clericum a se provisum in possessionem Beneficii immittere. Et si forte Julianus autoritate civili sussultus tentaret sese intrudere, Episcopus cum toto Capitulo deberet se opponere. Ipse Julianus in conscientia tenetur abstinere ab omni lite intentanda proviso ab Episcopo, nec sacramentaliter absolvi potest, quamdiu iudicio cum eodem contendit. Nullus advocatus, cui de facti veritate constat, potest falsa conscientia tueri causam Juliani; & si hic ipsius patrocinio ac directione injustam causam suam evicerit, advocatus tenebitur ad omnes expensas & damna parti innocenti illata. Idem dicendum de illis omnibus, qui cognita rei veritate intruso Juliano cooperarentur ad adipiscendam præbendam. *De Lamet.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Canonicus. Parochia. Permutatio. Provisio. Simonia.*

RESTITUTIO.

I. Juxta D. Thomam restituere idem est ac reddere alicui possessionem & fructum rerum, quæ ipsius sunt, & tamen non possidat. *Restitutio* igitur est actus justitiæ commuta-

Q 2